eorum participant. et ipsa quorum sunt ipsa.
Differt autem species a proprio. quoniam species quidem potest et aliis genus esse. proprium vero et aliarum specierum esse impossibile est. Et species quidem ante subsistit quam proprium. proprium vero postea fit in specie. Oportet enim hominem esse ut sit risibile. Amplius. Species quidem semper actu adest subiecto. proprium vero aliquando actu potestate vero semper. Homo enim semper actu est Socrates. Non vero semper ridet. quamvis sit natus semper risibilis. Amplius alie. Quorum diffiniciones differunt. quorum termini differentes sunt et ipsa differentia sunt. Est autem speciei semper sub genere esse et de pluribus. et de differentibus numero in eo quod quid est predicari. et cetera huiusmodi. Proprii vero soli et semper et omni esse.

Speciei vero et accidentis commune quidem de pluribus predicari. Rare vero alie sunt communitates propterea quoniam quam plurimum distant. accidens et cui accidit. Propria vero utrisque sunt. Speciei quidem in eo quod quid est predicari de his quorum est species. Accidentis autem in eo quod quale quiddam est. vel in quo modo se habens. et unamquamque substantiam una quidem specie participare. pluribus autem accidentibus separabilibus et inseparabilibus. et species quidem ante subintelligi potest quam accidentia. vel si sint inseparabilia. Oportet enim subiectum esse ut illi aliquid accidat. Accidentia vero posterioris generis sunt. velut adventicie nature. Et speciei quidem participacio equaliter est. Accidentis vero vel si inseparabile sit non equaliter. Ethiops enim alio ethiope habebit colorem vel intencium amplius vel remissium secundum nigredinem. Restat igitur de proprio et accidenti dicere. quo enim proprium specie et differentia et genere differt dictum est.

Commune autem proprii et inseparabilis est accidentis quod preter ea numquam consistent illa in quibus considerentur. quemadmodum enim preter risibile non subsistit homo. ita nec preter nigredinem subsistit ethiops. et quemadmodum semper et omni adest proprium sic et inseparabile accidens. Differunt autem quoniam proprium uni soli speciei adest quemadmodum risibile homini. Inseparabile vero accidens ut nigrum non soli ethiopi sed et corvo adest et carboni et hebeno et quibusdam aliis. Quare proprium conversim predicatur de eo cuius est proprium. inest equaliter. Inseparabile vero accidens conversim non predicatur. Et propriorum quidem equalis est participacio. Accidentium vero hec quidem magis illa vero minus. Sunt quidem et alie communitates vel proprietates eorum quam dicta sint. Sed sufficiunt et hec ad discretionem eorum communitatis tradicionem.

Equivoca dicuntur quorum nomen solum commune est secundum nomen vero substancie racio diversa. ut animal homo et quod pingitur. Horum enim solum nomen commune est secundum nomen vero substancie racio diversa. Si enim quis assignet quid utrumque eorum quo sint animalia proprium assignabit utrisque racionem.

Univoca vero dicuntur quorum et nomen commune est et secundum nomen eadem est substancie racio. ut animal homo. atque bos. Communi enim nomine utraque animalia nuncupantur. et est racio substancie eadem. Si quis enim assignet utriusque racionem quid sit utrique quod sint animalia eandem assignabit racionem.

Denominativa vero dicuntur quecumque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem. ut a gramatica gramaticus. et a fortitudine fortis. Eorum que dicuntur alia quidem

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2282/0013
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt